tans. Praeterimus cetera, quae enumerare non est huius loci.

§. 297.

An summa potestas dependens est?

Nec minus manifestum est, potestatem summi imperantis natura sua omnino independentem & illimitatam esse; summus imperans ergo neque iudicem vllum supra se habet praeter Deum: neque rationem actionum suarum populo reddere obligatur; nisi aliud speciali pacto sit constitutum. Vnde intelligis pernicioſum errorem *Monarchomachorum*, qui principem pro populi administro habuerunt, atque ciuium iudicio subiectum temere pronuntiarunt.

§. 298.

Quae obligationes subditi?

Quoniam ius vnius intelligi sine obligatione alterius nequit, patet, subditum obligari ad obediendum tum legibus, tum reliquis principum decretis: patet perinde, subdito non competere ius in actiones & decreta principum inquirendi, neque licere vmquam potestati executoriae resistere.

CAPVT II.

DE CVRA IMPERANTIS CIRCA NVMERVM CIVIVM.

§. 299.

Cur augendus ciuium numerus?

Prima imperantis in republica cura esse debet, vt ciuium numerus augeatur; equidem ideo necesse erat maiores societates con-

conſtituere, quia in minoribus nec ad commode & iucunde, nec ad ſecure viuendum media hominibus ſuppetebant; igitur quo maior fuerit ciuium numerus, eo facilius tum comparari poterunt neceſſaria ad vitae commoditatem & iucunditatem ſubſidia, tum hoſtium exterorum inſultus retundi. Patet ergo finem reipublicae non obtineri, niſi magnus ſit ciuium numerus.

§. 300.

Quae ad hunc finem media?

Duo potiſſimum ſunt media augendo ciuium numero ſeruientia: *internum* alterum, alterum *externum*; prius in eo conſiſtit, vt ad iungenda matrimonia incitentur homines educandae ſoboli idonei: poſterius in eo, vt exteri in ciuitatem alliciantur.

§. 301.

Quomodo ciues ad matrimonia incitantur?

Incitantur porro homines ad ineunda matrimonia, ſi intelligant non defore ſibi, inito matrimonio, facilitatem omnia comparandi, quae ad neceſſitatem & commoditatem vitae, ad alendam familiam, ad honeſte educandam prolem requiruntur. Addunt huic momento pondus exemtiones & priuilegia, in matrimonii fauorem conceſſa.

§. 302.

Quomodo exteri alliciuntur?

Exteri porro in regionem, ſufficiente ciuium numero deſtitutam facile alliciuntur, tum ipſa forma regiminis & clementia imperantium, tum facilitate neceſſaria vitae comparandi, tum denique concedendo immuni-

tates iis, qui civium numero adscribi volunt.

§. 303.

An proportio inter status seruanda?

Facilitas porro necessaria vitae comparandi augetur, si curet imperans, vt debita inter conditiones & status ciuium sit proportio, vt maior sit v. g. numerus agriculturam, quam opificia exercentium, maior laborantium, quam otiosorum, & fruges consumentium &c.; nempe agricolae necessitati, opifices & artifices commoditati vitae ciuium prospiciunt; igitur crescente nimium numero opificum, minui agricolas, necessaria vitae subsidia & ciuium numerum oportet.

§. 304.

Quod primum impedimentum?

Curandum vero praeterea est, vt impedimenta, quae augmento ciuium obstant, e medio tollantur: *primum* sunt *morbi*, praecipue contagiosi, quibus ingens saepe ciuium strages editur; igitur tollenda sunt omnia, quibus valetudo ciuium labefactari potest; prohibenda venditio alimentorum noxiorum, procuranda aeris salubritas &c. Quae generatim indigitasse sufficiat.

§. 305.

Quod alterum?

Alterum augmenti ciuium impedimentum est *demigratio*; illi igitur omnibus modis est occurrendum, cum aliunde socio deserere societatem cum damno ceterorum non liceat (§. 174.). Media eam in rem aptissima sunt, quae supra (§. 302.) attulimus; nemini enim desiderium emigrandi veniet e societate,

tate, in qua commodam tutamque vitam degere poteſt: ad opulentiores vero retinendos conferet, ſi pars bonorum demigrantis fiſco addicatur.

CAPVT III.

DE CVRA IMPERANTIS CIRCA INTELLECTVM CIVIVM.

§. 306.

An cura intellectus ciuium habenda?

Sollerter curandum eſt in republica, vt ciuium intellectus excolatur & perficiatur; equidem ciuis quilibet ita conformare debet actiones ſuas, vt ad publicam felicitatem promouendam conferant (§. 286.): at vero obtineri id nequit, niſi animus certis quibusdam imbutus ſit cognitionibus tum generalibus, tum ſpeciatim ad vitam ciuilem & moralem ſpectantibus: niſi praeterea cognitiones illas ad particulares caſus accommodare nouerit; igitur neceſſariam eſſe patet curam circa intellectum ciuium.

§. 307.

An omnes ciues iisdem cognitionibus imbuendi?

Hinc autem iam intelligis quoque, non omnes ciues eadem ratione, neque iisdem omnes cognitionibus imbuendos; nempe multa & diuerſiſſima ad publicam felicitatem obtinendam requiruntur ſubſidia; igitur diuerſos etiam oportet eſſe ciuium ſtatus & conditiones, agricolarum, opificum, artificum, doctorum, magiſtratuum &c. harum autem ſingulis aliae neceſſariae ſunt cognitiones, cum intellectus vnius hominis omnibus diſcendis non ſufficiat.

§.